Korycki

Sieniaviani Collegii Soc. Jesu: Iustitia coronata.

JUSTITIA CORONATA

ILLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. STEPHANO

à POTOK

POTOCKI

REFERENDARIO REGNI
MARESCHALCO COMITIORUM REIP:
CAPITANEO LEOPOLIENSI,
In primo
Capitaneatûs ingreßu
Cultu Oratorio

ADORATA

à Devinctissimo, POTOCCIANO Nomini
Collegio *SIENIAVIANO* Societatis IESU.

Annô Domini 1726.
* *
LOEPOLI Typis Collegii Societatis JESU.



1.

Ense, librâq; manûs, infracto pectora ferro,
Frontem armas justo Diva rigore Themis.
Frenat vitta comam; sed desunt summa Coronæ;
Adde Crucem, & STEPHANUM, plena Corona Tui est.

2.

Ad trinam dum Astræa Crucem librat Acta, nefasq;
Non magis ex æqua lance tribunal erit.

ILLUSTRISSIME, EXCELLENTISSIME DOMINE.

NON attollit dignitatem Tuam nostra Panegyris, sed demissionem admiratur. Provincia, quam adis, descensus quidam videri potuit, non ambitus. Quid enim Tibi cum humilioribus subselliis? quem, ut Palatinæ Curules accipiant, pridem citato velut agone contendunt. Quid cum forensibus querelis isti Animæ? cui discrimina Regni gravissima, Reipublicæ difficillima, se ingerunt, ut malaciam referant; Sacra etiam Potentissimi AUGUSTI Majestas fiducialiùs Tibi incumbit, quàm Joves Pulvinaribus. Hoc quidem Equestris Judicii Solium, Ducalibus nuper titulis se æstimavit, Verùm Præfecturam hanc primâ ferè juventâ Decessor Tuus exercuit, ut per gradus mu-

munerum paulatim robur colligeret ad gravius Clavæ pondus, ad summa Fortunæ publicæ moderamina. Tu verò prima Senatûs fastigia pridem tenueras, nisi promptiùs Tibi foret salire etiam ad ima, ubi Te vel desiderata populi utilitas, vel suspirantes legum ærumnæ sibi vendicant: neq; enim laboras reptantibus curis eripi, sed obviare. Quòd dilatis splendidis, & eminentioribus titulis, Castro Leopoliensi PROREX esse non detrectes, istud propensioni Tuæ dedisti, & nostræ felicitati, ne popularium desideria damnâsse videaris, quasi trahere vel invitum non possent, quem immodico affectu pæne cunctis invident. Ne nos peregrini à Te diceremur, ne ab agnitione dissiti, occurris Themidi Leoburgicæ, ut aurum inopiæ, ut sidus Lunare nocti, quod plenum lucis Orbem sæpe abrogat, sæpe in declive fertur, ne semel, & sibi tantùm crevisset. Id, si alius par faceret, cui non prodigio par esset? At Tibi infra populorum commoda sunt honores; tantùmq; Te eminere advertis, quantùm in usus nostros dejici libens admittis. Cresces deinde, non servato crescendi ordine, nunc Quiritem inter, Equestremq; medius, nunc Senatorum Primicerius, prout felicitati nostræ libuerit; nullo altitudinis detrimento: altorum enim luminum inclinatior etiam motus, Sphæram magnitudinis non deserit, sed explicat. Nec aliter Judiciarii fasces Te adorant hodie, quàm ut summa etiam honorum culmina infra se habeant, Te possesso. Altiùs montibus suis porrigitur LEO Roxolanus, & Cælum tangit, postquàm Optatissimo STEPHANI Nomine spes suas Coronavit. Dum enim Aram Justitiæ tangis sanctior Aristides, pulcherrima Cidari frontem Themidis erexisti. Et jam Regio dominatur supercilio Virtus, & Æquitas. Ut verò etiam Divinam facias, satis est Te exorari, ut dum Universæ Reipublicæ decurres munia, & amplissimis Provinciis purpuratus imperabis, perennem Te Coronam nostri habeant fasti, & Rossa Metropolis Aram Justitiæ. Hanc votorum coronidem adnectit

ILLUSTRISSIMI MECÆNATIS Honoribus

devinctissimum

Collegium Leopoliense Societatis JESU.

EXcute pullato vitiatam pulvere frontem;
Collaq; lambentem pulso discrimine crinem,
Stringat purpureo distinctus stamine nodus,
Russa Themis: cingat felix meliore metallo
Vitta caput; quod furvus Arabs, nec Medus Hydaspes,
Nec qui Regales excepit vortice nævos,
Infecitq; suum pretioso crimine limum,
Crystallumq; vehens vidit sub gurgite Ganges.
En, quæ cæsariem, cælo mittente, corona
Amplexura venit! qualem vel Juppiter ipse,
Concilio quoties vellet præstare Deorum,
Sumeret: in solio summum Numenq; videri
Posceret. Hanc exquisito non pollice Musæ,
Non artis inventa novæ, non flexit in orbem
Invitâ Fortuna manu: sed Nomen & altum
Composuit Genus. In gemmas se contulit omnis
POTOCIÆ Virtutis honos: probitate renidet
Tænia: non adamas, non cultâ fronte pyropus
Fulget; at omne decus sê construit unica virtus
In STEPHANO conclusa suo: facit Ipse coronam
Et gemmam: pulchrè STEPHANO cingêris ab ipso
Diva Themis: claudet sublimem frontis honorem
CRUX non una Tuum: fies confinis Olympo,
Teq; Polo Tua Libra vehet.

DEpressā collecto mærore frontem, dolentissimis madidam lacrymis, fatalibus *SIENIAVII* umbris nubilam, erige,

 se-

ſerena, *ROXOLANA THEMIS.* Hactenus gravem Tibi, univerſæ gravem Lechiæ, mortalem ingē-tis Viri caſum,ut ſenſiſſes teneriùs, excepiſti corde & gemitu; ſenſi-ſti, quæ Patriam, quæ Te preme-ret jactura; hactenus luctuum im-bres profuderas, quos lugubris Celſiſſimæ Cynthiæ pallor præſa-giit, & poſt Occaſum Lunæ, in lætitias oriri recuſabas. Tandem ſub dolorum mole, levamen ad-mitte, noctes illas lacrymis pro ge-niti roris nutrices,in ſerenum educ diem. Recens quidem mæror, nō perſanatum modò vulnus,ſed cru-dum, & viva tantæ mortis imago, planctus non cohibendi irritamē-tum, lætiora dedignatur conſilia, ac ipſis quodammodo in ſolatiis, materiam dolendi habet, dum a-miſſi reminiſcitur; cujus jactura

ſola-

ſolatia quærendo excludit. Suam hîc mortalibus Cæli indolem inſuderunt. Olympus, ſereniſſima ſiderum Regio, occumbentē amittit Solem; concurrunt Stellæ, ut mæſtitiam amiſſi, multiplicato exhilarent riſu; & ille, riſus inter ipſos, rorat lacrymas, ac ipſa ſolatia lugubri funeſtat planctu. Verùm ut ruptum adamantem, aureæ connectunt fibræ, ac violentam Naturæ cicatricem, ſuo cōpenſant pretio; ut læſam chalybe Cedrum, decidui ab Aſtris ſucci, in primam enutriunt integritatem, iisq; ſævioris plagæ memoriam abluunt; ita ictu fatali ſaucium humanū cor, faciles etiā experitur medelas, & perſentiſcit; quòd nō fortiora ſint, ſuis telis, fata, quàm natura, cōtra fatorum tela remediis. Vulnus Tibi eſt Roxolana Themis;

mis, quòd cûm magno Exercitu-um Duci, Capitaneo Leopolienſi, inflixit Lacheſis, Te eodem confodit ictu; nempe ad vulnera Capitis etiam cor fatiſcit. Sed enim providi ſuperûm favores, recentiſſimam jacturam, promptâ compenſant felicitate: perempto Duci, Equeſtris Ordinis Principem ſubſtituunt *ILLUSTRISSIMUM EXCELLENTISSIMUM REGNI REFERENDARIUM.*

SErenam frontem induite Cives
Nervæ Trajanus ſuccedit.
Latium illi eſt Roxolana Metropolis;
Tota in collibus,
Romanis etiam!
Lunam extinxerunt fata, non ſerenum:
Eodem in cælo,
Illuſtriſſimæ ſemper effulgent POTOCCIÆ Cruces.
Prodigium putatis?
Arboribus favere lunas, didicimus.
Adamum fata exemerunt horto Themidis:
Sed regnat arbor vitæ.
Florentem dixiſſe debueram,
Niſi adultos meritorum tuliſſet fructus,

Etiam Sereniſſimis ſvaves menſis.
Quantus Vir ad clavum Juſtitiæ proficit,
Intelligite Cives!
Præduces, Supremos Duces habuit.
Ita nimirum incedunt ſummi ad faſtigia,
Ita POTOCCII.
Quid præduces nomino?
Cui luſca virtus eſt, Ductore opus habet.
Aſiones pari prævolant, non Aquilas.
Illum præmiſit POTOCCIUS,
Non ut Columbum ad novos quærendos Orbes Iberia:
(Tritam Patribus viam noverat)
Sed ut Illuſtriſſimi Parentis veſtigiis Filium ſolaretur.
At præmiſerit!
Heroicæ illud eſt Gloriæ, clavâ viam quærere,
Etiam ad honores.
Iverint ad Tyrios Alexandri, flore comente iter:
Gnesnam, purpureâ ſemitâ Ottones:
In Caput Orbis Auſonii, prævolantibus vulturibus:
Nemo generoſiùs POTOCCIO ad Caſtrum,
Per clavas deſcendit.
Bellator, & Mars Poloniæ his Appiam inſtruxit.
Ita ſê aureo NICOLAO opulentam Juſtitiam
Voluit etiam STEPHANO Coronatam.
Nec alteri eam credidiſſe poterat,
Quàm ſuæ animæ:
Unam uterq; ſpiravit.
Amica nimirum vincula, nec fata rumpunt.
Quantùm mens illa aſtris recepta geſtit
STEPHANO Succeſſore!
Niſi hinc mæreat,

 Quòd

Quòd necdum clava manum oneret.
Applaudite felicitati vestræ Incolæ,
Excitant gaudia,
Æternô etiam intercepti somnô Duces.

SEd quid ego Roxolanæ Themidi solatia è tumulis evoco? malè sapiunt gaudia, si mortuali condiantur cinere, nec tristem serenant vultum, sepulchrales umbræ. Bene, lugubres amovet Nænias, lætior Domus Celsissimæ Gloria, *ILLUSTRISSIMUS, EXCELLENTISSIMUS STEPHANUS* à Potok *POTOCKI*, nunc Regni Referendarius, pridem Regum designatione, voto Patriæ, & ingentibus in Patriam meritis *SENATOR*. Tuum ille ingreditur Tribunal, post *ADAMUM SIENIAVIVM* primū Senatûs Patrē, secundus hic, id est Patriæ & Tibi felix: quanquam, & iste, si merita

ta expendas, primus eſt. Venientis ora, hilari vultu accipe, ille namq; Tuis ſe infert ædibus, qui, ut ſui Nominis, ita Tui Capitis Corona eſt. Magni ingreſſus lux feſtiva publico arridet honori, diem inaugurationis agimus, in Metropoli Ruſſiæ,& S*TEPHANUS CORONA JVSTITIÆ eſt*. Principe ſtylo præſens celebranda foret inauguratio, & gemmis loquendum de Corona. Quodſi *Illuſtriſſime* Iudex, malè compta ſvada, pro gemmis vitrum, pro adamantibus ſaxa obtruſerit, facilè abſolves crimen hoc, amat enim, etiam lapides S*TEPHANVS*.

Solo hactenus ſuccincta gladio inceſſit Themis, omnisq; majeſtas ultore criminum conſtabat ferro, & totus ille cultus, nobilis

me-

metus erat. Severitas, quàm manum, tam vultum tenebat, nec contractum ad minas ſupercilium clementia temperabat. Diſtrictus mucro ita ſolii majeſtatem tuebatur, ut oculos etiam feriret, & animum: mæſtum etiam inſontibus ſpectaculum. Vidimus Ariſtides, vidimus Hirones, Seleucos vidimus in Tribunalia deſcendere, ſed præeuntibus bipennibus, ut totus Iuſtitiæ apparatus ferrum eſſet, & horror. Ita vili inſtructa metallo pœnè omne ſui pretium amiſerat Divina Nemeſis, dum ad incudem legum fabrile Nomen induit, non Reginæ. Tam aſperam viderunt Themidem illa ſæcula, ſatis felicia, ſi limatam enſis aciem, nulla inquinâſſet macula; ſed ferrum illud con-

tra-

traxit sæpiùs rubiginem, eò nocentiorem, quòd ab auro. Ita enim malum hoc Justitiæ dignitatem imminuit, ut intra Areopagi conclavia servam ageret, non Reginam. Absolvis ab hac labe Themidem Judex Illustrissime, dum, Te ipso coronatam, facis auream. Ita dives, facilè despicit fulva Midæ obsonia, & jam extra commentum Dea est, quia Te Judice corrumpi nescia. Quà gressum moves, fas sequitur, & æquum, profugiunt facinora, verita probitatis vestigium, accurrit legum reverentia, severitatis plena, & clementiæ. Exciperis ab Ara Themidis suum Numen, cui avitas Domus Tuæ ceras accendis, ut Orbi Russiaco illustriùs affulgeat; & jam *Potoccianæ* Domus

ſplendoribus reddis Sereniſſimam. An enim Crucibus inſignitæ ſanctiùs nō imperabunt leges? Si iterū Maxentius, Maximinusq; ſuperba titulis Nomina, at ſcelere tumentiora, reviviſcent, habebunt in *Te* Conſtantinum, ſub hoc ſigno pro æquitate triumphatorē. Suo obſignatam annulo (ad Oraculi arcanum) neſcio mentem Capitis, quod à Romano Petri Solio jura dabat Orbi. Calliſtus III. Summus ſacrorum Arbiter, Apellis, Zeuxisvè penicillo, lineamenta Crucis duci juſſerat, & proſtrati ad Crucem Leonis. Iacebat Princeps animal ita expreſſum coloribus, ut ſpectator oculus vivum crederet, niſi vicinior adverteret, quòd artem ſpiraret, non vitam. A ſummo Capite cogitatum ico-

ni adjectum lemma: *Fortitudo Pietati.* Tui Honoris Symbolum est *Illustrissime Capitanee.* Gentilitias Domus tuæ Cruces aris imponis Justitiæ Leoburgicæ; non egent illæ mendicatis à penicillo coloribus. Habent Imperatorios, Regios, Principes, Senatorios à suo Sanguine murices: illis admiscuit sese pulcherrima cerussa, quam tincti Cruore Ducum, Heroum, *POTOCCIORUM* acinaces à cæsis Patriæ hostibus hausere, ad lucem, quam non mentiti Zeuxis radius, sed ipsa gloria nobiliùs purpurat. Crucibus subjectum cerne Roxolanum Leonem, fortitudinis famâ inclytum. Hic infesta Ottomanæ Lunæ cornua detinuit, & fregit, millenos fugavit Scytharum cuneos, irruentes bar-

barœ

baræ Gentis catervas ita repreſſit, ut ſuis velociùs ſagittis retro avo-larent. Sveticam quidem belluã, Nemœæ ſylvæ monſtrô fero-ciorem, intra mænia pertulit, non quòd ſuo diffideret robori; verùm ut proprio etiam dolore commu-ne ſentiret fatum, & publicæ ad-gemeret calamitati. Jam Leo no-ſter aſperatam præliis frontem ad pacis clementiam revocat, con-cinnat jubam ad legum Capita, totus ſpirat modeſtiam ad *POTOCCIANUM*, & probitatis inſi-gne. Nec immeritò: omnem exuere debuit feritatem, ubi Tê coronatam advertit Juſtitiam. Ille nempe Capitaneus Roxolanum conſcendis Tribunal, cujus Do-mus Imperatoriis eminet Coronis, Regũ vincitur diadematis, Principũ

coro-

coronatur mitris. Fastos, id est immortalem retroactorum temporum memoriam consulimus? plenis loqvuntur Capitibus *POTOCCIANAM* frontem eadē redimiri tænia, qua Orientis Imperatores. Nempe MOHILENIS Moldaviæ Ducissa, PALEOLOGORUM Neptis, Tui Sanguinis AVIA, in POTOCCIAM Domum Orientis deduxit splendorem; ut Sol ipse nō illustriùs nasceretur, quàm POTOCCII. Et nè unam Coronati Orbis partem, sua intra limina concluderet Genus Nobilissimū, accessit Septemtrio cū Moschorum Imperiis, per affinem in SOLTIKIIS tanto Solio gloriam. Imò huc se devolvit Meridies totâ Serenissimorum titulorum luce, in Augustissimis AUSTRIACIS per

Neoburgos Principes, quorum Mitræ Cæſareis vicinæ Coronis, & Vobis Sanguinis nexu contiguæ, ne quidquam ad faſtigium trino Occidentis diademati deeſſe videretur, tergeminas POTOCCIORUM Cruces inſeruêre. Gallia deniq; ſuum, quo nullus eminentior, Florem Veſtræ annectit fronti in LESZCZYNIA, illumq; non vulgari tellure nutritū, ſed Regum Soliis, expandit, ut ſuo folio lectiſſimam Domus Veſtræ inſcribat gloriam, & Lilium hoc, cordis loco, habeat Genus POTOCCIUM. Jam ſi Patriū Orbem inſpexero, omnis ſe volvit ad Tuum Nomen, propinquo Sanguinis nexu. MOHILENIDES, par Nobile Sororum, *POTOCCIORUM* & *WISNIOVIECCIORUM*

Ma-

Matres, inſtratis murice Imperatorio Cunis, utrumq; educârunt Sanguinem, jam olim ſuâ etiam gloriâ adultum. Germana *Potocciis* Sceptra dextram adornarûnt MICHAELIS KORIBUTH WISNIOWIECKI. Imperavit hic Sarmatiæ, & in Fratre Rege, Poloniæ præerant Reges *Potoccii*, unius conchæ gemmæ, & unius Coronæ. Ad *P*rincipes declino Mitras, (ſtyli demiſſione erravi) ad *P*rincipes erigor Mitras, quæ in Poloni Orbis faſtigio, celſiore attolluntur magnitudine, ſimulq; ſua affinitate *POTOCCIORUM* comitantur culmen. Illæ ſunt, quæ cū *Wiſniowieccio* ſidere ſemper in cælo Honoris radiant; provolant cum *RADZIVILIANIS* Aquilis ad Solem gloriæ; cum Avito SANGU-

Szko-

SZKORUM Pogonia, famæ decurrunt ſtadia, & attingunt metã; in altum dignitatum enatant cum LUBOMIRIORUM Srzeniava. A Principum Celſitudine, à Ducum Tiaris, feror ad prima Coronæ ſidera, ad purpuras, quibus ſe *Illuſtriſſimi* involvunt Soles. Huc plenitudinem lucis transfuderunt SIENIAVII, quorum Nominis ſplendor, ne perennem Eclipſim pateretur, Avitam Lunam POTOCCIANÆ Domus Crucibus non uno illigârunt nexu, & jam ſidus fixum eſt in NICOLAO POTOCKI Palatinida Belzenſi. Tranſcribũt Clavam JABŁONOVII, ne belli Numina deſideret Patria. Hìc altum ſuæ Navi deſignant OPALENII, CZARNIECCII, tot gẽmarum onerariæ, quot Nepo-

tum.

tum. Aureum Cruci Veſtræ appendit vellus, HUMIECCIORUM, SZANIAWSCIORUM Agnus, ut ex divite lana perenne Purpurarum ſtamen Vobis ducat Patria. Fulminatricis militiæ Duces KACCII, juratum Crucibus Veſtris Nomen; quibus ut ſemper militent, lectiſſimum Sororum par, & in utraq; Bellonam Vobis fæderarunt. Honoris faſcibus inſerunt Secures OSOLINII, TARŁONES, MORSZTYNII. SAPIEHARUM Sagittæ, ZAMOYSCIORUM haſtæ, ut ſummum gloriæ tangerent, in Veſtram collimàrunt Domum. *P*oloniarum Gradivi: RZEWUSCIUS & DENHOFFIUS, ut nihil à Magno differant *Conſtantino*, Ducalibus clavis *P*OTOCCIANAS Cruces ſociàrunt. CETNERII, quò fortunatiùs triumphent, ſub hoc ſigno Avitum ex-

plicant Labarum. Jam WARSZYCCII, CHODOROWII, WIELHORSCII, ŁASZCII, SZCZUCII, PREBENDOVII, & mille alia Domui Veſtræ illata ſidera,ut ultra calculū ſunt,ſic ultra calamum. Ibo per cōpendia. Quidquid exterus orbis; Celſitudinis habet, quidquid ſummi pretii Patrius, totum id Domus complectitur POTOCCIANA, & auget: non ſecus, ac vaſtum mare, quod ingentia flumina dum in ſe recipit, majori donat incremento.

Spectâſti *Illuſtriſſime Excellentiſſime Capitanee* Sereniſſima Domus Tuæ diademata, Principes Mitras, & innumera Patriæ ſpectâſti ſidera; univerſa hæc in Tuam colligis frontem, Coronarū & Mitrarum hæres, ac alter Lechici cœli Atlas. Reclinant ſe

ad

ad eminentem ſibi faſtum, tantum in Caput, collecta Fortunæ inſignia, in quo AUGUSTI II. animus, id eſt mens Regni vivit. Huic Regiæ omnis ſe debebat tænia; accipis illam cum Coronatæ Domus gloria: nec Tibi Soli; illuſtrē ducis à primo Generis Sereniſſimi ortu animam, ceu Solem, qui vix cœlum ingreditur, cognatam ſibi lucem aſtris, & terris infert. Jta *Jlluſtriſſime & Excellentiſſime Domine*, Roxolani Areopagi conſcendis thronum, ut quibus ipſe AUguſtior incedis titulis, iisdē Themidem Corones Leoburgicam. Ne verò diademati, quo Juſtitiæ attollis frontem, ſua deſint pretia, illud tot diſtingvunt gemmæ, quot POTOCCII. Inſepultos cineribus non eruo uniones,

nes,

nes, illos Coronæ insero, quos adhuc superstites (utinam immortales) Orbis Polonus intra sua recenset decora; gratius namq; illud ornamentum est, quod oculos, non quod solam delectat memoriam.

NOn querna folia distingvunt Coronam Justitiæ:
Arboris tamen,
Sed POTOCCIANÆ.
Gemmat hæc vitis Heliadum populo feliciùs:
Unicam gemmam exsudavit populus,
Una prodigiosam ape;
Quot POTOCCIA?
Si numeres? Piscariam contempsisti.
Princeps gēma Celsissimꝰ THEODORUS POTOCKI
Archiepiscopus Gnesnē: Primas Regni, Legatꝰ Natꝰ.
Tiaram Varmiensem pretiosam fecit,
Pietate, munificentia, structuris, Virtutibus.
Miratur ita se excultum Ducatus,
At lacrymantur Posteri.
Nihil relictum est Alexandro,
Postquam Philippus *omnia consummâsset.*
Illud paradoxum est,
Gemmis florere arbores!
Floruit sub hoc PRINCIPE Sacra Tilia,
Ubi hanc Cælestis roris guttam bibit.
Illam ad securim damnaverat Heterodoxa Vicinia:
Sed stetit impetus, quòd non magnete arbor frondesceret.

Ita

Ita pro Principe unione, Princeps pugnavit Gemma.
Sublimioribus deinde inserta Tiaris,
Meritorum, non Fortunæ manu,
Supra Principes Princeps est,
Voto omnium Eminentissima.
Regni moderatur habenas, & Regum Cor:
Felicissimè!
Acida Regni tempora ita temperavit,
Ut Religio, Patria, Cives, biberint Regnum pacis;
Quasi Cleopatræ poculum servâsset adhuc Antonius.
Date Cælis victimas Romana in Poloniis Sacra;
Illum Vobis providerunt defensorem,
Quem nisi dedissent,
Iterum Gigantes Jupiter timuisset.
Parum erat Religionis integritatem servâsse,
Nisi auxisset etiam.
Assurgit Varsaviæ Superûm ædes,
Liberali manu in fastigium gloriæ deducta,
Et MICHAEL ad libram expendit pretia.
Coruscant inter affusi auri splendores aræ,
Et gemmeo Capiti, Divorum destinant radios,
Ut pretiosiùs niteant,
Interim, donec Sanctissimũ Antistitẽ excipiant altaria,
Porrige annulum Piscatoris Roma,
Ac Gemmam Præsulum in hoc Orbe eminere jube.
Quantùm splendoris à Viro gemmeo huic Tiaræ,
Illustrissimo IOSEPHO POTOCKI,
Palatino Kiioviæ?
Inter Heroes Gradivus est,
Consus inter Proceres.
Invictus manu, & consilio:
Non sub uno belli fulmine Gemma natus.

Gemmam agit,
Sed Martia virtute decolorem.
Rebelli plebe domita,
Dracone non uno vulnere cæso,
Candorem purpurâ commutavit,
Venuſtior ſub hac macula,
Quâ
Seipſo cruentum infecit Erythræum.
Pretium dedit illi Oriens,
Fecit ille ſibi,
Polona æſtimavit Libertas,
Et quod ſuo cogitat vindici, arcanum eſt.
Annis, & Virtute gravis Unio
Illuſtriſſimus STEPHANUS POTOCKI
Palatinus Belzenſis
Addit Coronæ Coronam.
Nuper ad Regni limites Excubitor,
Vigilantiorem Argum egit,
Quàm vetus ille pro Iſide.
Quoties fines Poloniæ Scytha ingreſſus,
Nunquam exceſſit integer:
Et vitam, & prædam reliquit.
Numeroſo Getarum gregi
Oppoſuiſſe STEPHANUM *ſatis erat,*
Unus hic faciebat Caſtra,
Idem Ductor, miles, & omnia.
Ad Nomen POTOCCII *riguit hoſtis;*
Ita, quod Corona aliis, Compes erat Scythis.
Ulyſſem illum nunquam expavit Troja,
Pro qua tantus Apollo ſtabat.
Tales Columnas ad fines Patriæ ſtatue Polonia!
Plus ultra proficies.

Ipsi Cælites Themidis Coronæ gemmam inserite,
Illustrissimum PETRUM POTOCKI
Czerniechoviæ Palatinum.
Quidni?
Totus Sanctos, totus Pietatem spirat,
Et habet Honoris amica Numina.
Pro focis alii, pro aris hic pugnat:
Ferro illi, hic auro;
Nullius rubigo famam tanget.
Tyszoviensem, Mostensem excitavit Ecclesiam;
Kulikoviensem donavit meliori cultu, & Divâ Victoriâ.
Romanæ Martyri, tumulum in Polonia posuit,
Romam tamen ad PETRUM *habet,*
Herculem Gallicanum habes in Petro Polonia,
Aureo eloquio regnat, & vincit:
Sed nemo postulat absolvi à vinculis;
Tam cuiq; gratum est pendere ab ore loquentis.
Illustrissimum MICHAELEM,
& GEORGIUM POTOCKI
Inscribe Coronæ penna.
Alterum Notarium Regni, & insigne decus,
Alterum Excubitorem Lithvaniæ limitum,
Mareschalcum Tribunalis,
Fratres, & Arcades ambos.
Utrosq; debellatores Draconum, teste Nomine;
Virtute, debellatores hostium Patriæ.
Excubat pro militiæ integritate MICHAEL,
Pro Lithvanis limitibus GEORGIUS;
Securos agite somnos Regna:
Vigilant pro Vobis Leones.
Illustrissimos
Tlumacensem, Haliciensem, Belzensem, Szczerzecensē,
Crasnostaviensem, Socaliensem, Capitaneos,
Domus

Domus Illustrissimæ, & Justitiæ monilia,
Ambit Æquitatis diadema:
Pretiosa sanè, si sui ambitum provocant.
Infer Divorum cœtui Coronatum Caput Diva Themis;
Ariadnæ serto elegantius est:
Non aliter Virtutem comunt POTOCCII.

SIc gemmeum Roxolanæ Themidis diadema es *Illustrissime, Excellentissime Domine*, in æstimatissimis unionibus, quos Sanguis Tuus, ceu Hydaspes, ad grande Poloni Orbis protulit ornamentum. Verùm quamvis hæc in frontem, & libram Justitiæ non venirent pretia, unus Tu breve quoddam Celsissimœ Domus cōpendium es, divitem Te ipso reddis coronam, quâ Themidis adornas Caput. Quærant alii intra Arabiam aurum, intra maria gemmas; prærupta Alpium scrutentur juga, ut metuendos inter ipsa desideria adamantes legant, & parcam in sui pretia naturæ manum

tot

tot cõpensent discriminib9. In Te liberalior Fortuna, totum id congessit, quidquid ad pretium, ad æstimationem, & ipsum honoris fastum quæritur à mortalibus. Primas Ortus Tui adoro Cunas. Dixerim Auroram Te prodiisse in cœlum Lechiæ, cùm & Tibi à purpuris rubeat mane, nisi post, actis illustribus Solem referas, & minoris astri nomina excedas animi magnitudine. Cæterum ab animi candore, à morum innocētia, Unionem nuncupabo. Quid enim aliud procreàsset, & gēmans POTOCCIANÆ Dom9 arbor, & *Illustrissimus Progenitor Tuus Castellanus Camenecensis?* Cui (ni fata invidissent) Regni parabatur annulus, & Tu Orbi huic gemma nascebaris, concham pro cunis,

muricem pro faſciis nactus. Vix prætextam exuiſti, prodigioſo paſſu literariam ingreſſus es arenam; hanc enim littus Pactoli, aut Gangis effeciſti, majore ſupra minus ævum Scientiarum pretio. Somnient Vatum commenta in Ortu Palladis aureum ab Aſtris fluxiſſe imbrem, & nimbus ille fabulis copioſior erat, quàm auro. Tu ad veritatis prodigia literarũ Deã, melior ſcientiarum Jupiter, ita profundo ingenii nutriviſti, ut gẽmas in Coronam Sapientiæ profuderis. Plerumq; ditiores animæ ita Fortunæ ſuæ litant, ut lucos Palladis, & Muſarum Sacra averſentur. Arca illis Plutonis, quàm Ara Minervæ ſanctior: dives quantumvis ſuada, illorum nõ ſapit genio, ſatis diſerti ſibi, ſi au-

o-

ro tinniant. Fateor quidem Auroram Musis amicam, cæterũ titulorum Soles non arrident umbris Atticis. Tibi Castellanidæ, id est Honorum Infanti, non pretiosior fuit murex domesticus, quàm Toga erudita. Ita Avitã Arborẽ doctæ inseruisti Oleœ, ut hæc in Lignum scientiœ excreverit. Sic excultus, quœ in Te decora juvenescebant, Tecum ultra Patriam Europœ invexisti, ut non minùs ævo adolescerent, quã Tui pretio. Cum SIENIAVIANA Luna exteros adiisti Soles, ipse sidus aureum, non Sarmatico tantùm, sed quovis Cælo dignissimũ. Alii dũ peregrina transmittunt æquora, dum Rhenum, Tamesim, & Sequanam petunt, facilè vitiorum limo deformantur, non magìs vi-

arum

arum errore circumacti, ac morum, quaſi non ubiq; obvium eſſet lutulentum ſcelus. Tu candorem mentis, tu nitidiorem liliis animum ita Galliis intuliſti, ut nullo nœvo delibatum extuleris. Nullas ab alienis Solibus derivâſti maculas, utpote in Regnorum Coronis gemma terſiſſima. Alii peſſundatâ patriorum morum innocentiâ nativum etiam idioma corruperunt lenitate exotica, ut ceu infantes balbutire audiantur lin guâ patriâ, quos olim Viros expedivimus. Tu ut virtutis Polonæ,ita lingvœ Servātiſſimus, nihil fractū, cuncta reportâſti integerrima; adamantis more, quem in quācunq; Orbis partem tuleris, totus redit. Quotquot Te viderunt terrœ, ſuſpexerunt in Te futura Le-

chiæ pretia, & invidebant, quòd non ſuæ fortunæ theſauro ſervarentur. Vaticinia exterorum, Delphis certiora, probavit eventus. Redditus es Patriæ, nō ad pulchritudinis luxū compta facie, ſed eà Corporis mederatione, quā cunctis fecit innata Majeſtas acceptabilem, non fecit odioſā. Averſatus es labem illam, quam cæteri contrahunt, dum peregrino cultu venuſti nimium videri volunt. Tibi decor placuit, ſed quē ignium Martialium pingit fuligo. Nimirum, æſtus ſolis alieni non Te diſſolvit ad blanditias, non ad delicias emolliit, ſub quo Cor geſſiſti non cereum (quamvis tot Ceris Majorum nobile) ſed adamātinum, cujus natura eſt inardeſcere ad nitorem glorioſum, non diſ-

fluere. Ardorem hunc ſpectavit in Te Patria, cùm in prælia ferres pectus, ceu Ætnam, ut hoſtes in cinerē dares, & fata in ſavillam. Terrebas flammis Leonē Sueticum; gemebat ille, quòd contra Animi Tui incendia, non æquore ſuo defenderetur. Primus Regiæ Præfectus Alæ, Dux Legionarius, volabas cum Aquilis Jovis Coronati; ſequebantur fulmina, & præibant; ubi ſe audacior hoſtis oppoſuit, fecisti viam Victoriis, conculcato hoſte tritam. Effulſit ſereniùs Celſiſſimi Ducis SIENIAVII Luna, cùm ſplendores augebas, juncto gladii fulgore; ad terrores belli non expalluit, Te Fratre ſociata Phæbo; illi pro Patria laboranti, prœſentiſſimo ſemper conſilio & manu

ſuc-

ſuccurrebas. Ita inter Martis fulmina, & hoſtium cruores, natâſti Coronœ gemma. Cùm verò hoſtem ferires ictu, quali Alcides Hydram, cùm adverſis popectoribus vulnera dares, & victorias reciperes, tuliſti debitos triumphali dexteræ titulos: *INCISOR* Regni, ac hoſtium. Et verò tot præliorum manubiis onuſta dextera debebat Regiæ menſæ bellariis admoveri, ut tanti Herois fortitudinem, Regum Potentiſſimus quotidie reguſtaret, cunctis dapum condimentis majus palato ſuo deliciū. REFERENDARII Regni, Generalium Comitiorum MARESCHALLI AUguſtiores titulos, meritorum Tuorum pretia, ut uno quaſi intuitu Orbis relegat, adſtrictiori ſtylo comprehendimus. *Vires*

VIres in Caput collige Justitia,
Frontem diadema gravat,
Illustrissimæ Domus gemmæ onerant.
Si STEPHANUM adjicimus,
Vertex inclinabitur.
Quin inclinetur, ut veniant:
Grandes sunt, Magnates sunt, merentur adorari.
Annulo REFERENDARII inserta Gemma
Quanto gravis pondere!
Tota illi Regii fori incumbit Majestas.
Jam honoratas admisit cæsuras,
Et eò gravior:
Jam se per sigillata dispensavit decreta,
Et nihil decessûs habet:
Jam assiduo pressa usu atteritur,
Non deteritur.
Nihil, à tot Ceris, mollioris contraxit ingenii,
Ubiq; solidissima.
Quantis bellorum adurebatur æstibus!
Grandescebat inter fulmina, cùm jam nasci non posset.
Fulgura, ceu suæ Lucinæ amabat Cunas.
Pallor, virtutis illi color, non metûs,
Nulla fuligine testabatur vitiatam.
Grandi Majestate Gemmæ, ut succurrisset Respublica
(Nam & Atlantes, succedaneos Alcidas admittunt)
Publicorum Consiliorum porrexit Scipionem.
Providè!
Sed votis Nuntiorum annuit quidem,
non respondit STEPHANUS:
Non se, directrice Virga, sed Religionem suffulciit,
Sed cæcidit sacrilegos.
Placuit Reipublicæ, tanta in se injuria,
Quæ

Quæ se casibus obtulit, ut Fides surrexisset.
Borussæ Urbis crimen erat,
Cælum, & Sanctos impetiêrunt Heterodoxi Gigantes:
Quin Gigantûm abortus:
Non fulmina contra hos torsisti Jupiter,
Sed Virgam.
Aculeatam sensit impietas;
Meritò:
Quia Rosam sine spina confixerat.
Stat integritas Nazaræi Floris hoc Scipione:
Erigitur justo impiorum casu.
Hinc Orbis intelligit, juratos Crucibus POTOCCIOS.
Aurum sibi in parmam adsciverat insana temeritas,
Et venales animas, quibus scelus viveret.
Mutum Metallum,
pluribus ineptam persvasit facundiam;
Auream hanc suadam audire noluit Mereschallus;
Nunquam tamen meliùs audiit.
Hic, aureus cunctis STEPHANUS
Soli auro visus ferreus.
O dignum suo Nomine Virum!
Utriq; STEPHANO lapis tantùm,
utriquè Petra placuit.
Munera placant homines?
Credo;
Sed non POTOCCIOS.
Aurea his Anima est; se satis divites.
Incorruptum Nomen STEPHANI
Astris inscribe Fama,
Et Cælum explica pro folio.
Virtus hæc terris major.
Nisi Zyroslaus POTOCCIOS præcessisset,

Tu Illustrissime PILAVITARUM Pater fuisses;
At uterq; esto:
Ille à devictis Crucigeris,
Tu à vindicato Crucis honore.
Ab hoc Ligno regnavit DEUS
Regnabit & STEPHANUS:
Virtuti, Honori, Famæ Immortali.

NOn aliter in animis Civiū regnas, *Illustrissime Domine.* Probitate ab incunabulis ducta compsisti virtutum omniū formas ad summam lineam, ut ereptum olim Romano Imperio Probum in Te colat Polonia. Habes à natura majestatem, comitatem à gratiis, amorem boni publici à corde, interritum robur à Genere, consilii principatum à Te. Fama Te futuris exemplū referet, & hoc erit perennem esse *Referendarium.* Honores, quamdiu Virtutum esse volent præmia, Te certatim præ sum-

mis rapient. Supplices Pomeraniæ & Masoviæ Purpuras, hactenus repellere, vel differre Tibi licuit; non ultra. Dissidebunt Provinciæ, nisi vel singulis humerum submittas ad Laticlavia; vel concurrentium litem, ordine succedaneo dirimas. Intrabis Senatum Fratre Principe, & tot Domus Tuæ Nominibus plenum; *Illustrissima Proles JOACHIMUS & JGNATIUS*, ut Paternæ succrescunt gloriœ, ita prement vestigia. Neq; in longā spē prorogantur solatia; discit Senatum agere *IOACHIMUS*; tenerrima Ætas Rempublicam solertiùs tractat, quàm olim tener Cato; frequens illi in Curia ludus, admiranda etiam Patribus disceptatio, & svada, quæ Regias aures non

detre-

detrectat. Uterq; verò, vix à lacte ſubmoti, jam *Illuſtriſſimam* TERESSIAM certiſſima promiſſione lactant, fore Matrem Senatûs. Illos & Te, quò major Purpura veſtiet, non Fortunæ munus veniet, ſed Juſtitiæ debitum. Tuam, Majeſtates Sereniſſimæ, Tu verò noſtræ Urbis Juſtitiam coronabis. Tantumne? Etiam minima JESU Societas it ſub coronam, ut Honori Tuo cadat victima coronata. Hanc ingentibus beneficiis feciſti maximam; quarè prima Tuo ſiſtit ſe Tribunali, tot rea gratiarũ; reſponſura tamen Mecænatis tanti favoribus, ſed ad Aras, quibus illud appendit Votum: ut poſt primos Faſces, & Trabeas, poſt immenſam Togâ Sagoq; gloriam, Superi Tibi plurimas annorum dent Coronas.